Puteano. Nobilissime ac doctissime Domine

(177)

In extremas temporis angustias redactus, brevis hic esse cogor, quia brevi hic non esse. Ecce enim in procinctu me deprehendis, et valedicentem rursus turbidis, quas nosti, Musis meis, ut in turbatiores auferar, quas non nosti, perpetuâ tranquillitate, et quod ais, amoenitate nusquam interruptâ septus. Itaque ut verè brevis ~~et~~ sim, Curatum est Baexio quam ocyssimè quod mandasti. Curabitur porrò, quod vel tuorum commodorum gratiâ vel amicorum imperabis. Sic semel de me statuito, et quantum fieri potest quaeso, ne me inutilem amicum possideto. Circulum Urbanianum fortasse tu doles, ego vel ineptè impugnari gaudeo, quo nimirum saepius ad me revolvatur, appareatque novis assertionibus tuis et vindiciis ab irritatâ manu exactior quotidie, ac Dii boni! quantò cultior! Haec elapso mihi Hagâ in navigio vel curru lectio erit, ut ex itinere quan. te salutare indies videar, aut viae comitem veriùs amplecti. quod ut semel coram liceat, modo sic in Belgis utrimque bene sit, ardentissimè cupio, et te valere, Vir summe, et me amare. Hagae, ut dicebam, in procinctu. IX Cal. Maij CIƆIƆCXXXIII.

Amplissimum Tuldenum Reipublicae quantum quisquam utilissimum doctorem, integerrimo affectu saluto.

Heinsio. Nobilissime Domine

(178)

Praestantes illas literas tuas, quibus adversus Balzaci leves scrupulos fortiter tu quidem et ab imâ eruditione causam agis, mox Vincentii Fabritii mentionem facis nullò post pueri libellum accepi, et cum jam ardentissimo affectu tam singularis ingenij dotes in tenellâ aetate
2 exosculatus essem. Tua porrò commendatio cum accessit, postquam me doceri de re quâcumque non ambigere

ambigere, expende quantum in horas amor creverit digni=
simi omnium amore adolescentis! Foveamus illud ingenium
mi Heinsi, et suâ saltem laude, et amore nostro evehamus,
ne subsidat alibi pudore vel repulsâ. Est quod aliquâ
curarum tuarum parte dignum censeas, qui ad manum
es, et regere nutu potes tam nobiles scintillas. Me
febriles, dum haec scribo exercent ô amicorum decus;
cujus rei hoc est compendium. cum exponendus in Bra=
bantiae continentem exercitus esset, victus morbo, quem
diu dissimulando et inediâ speraveram vinci posse, sensi
necessitatem urgere, ut classe me subducerem, saltem quod
in proximo erat Zulichemum deferrer, ubi uxore repertâ
non medicis non remediis post quatridui frustrà decertatio=
nem, tandem Hagam redeundi gravior quotidie necessi=
tas incubuit, et redii, et medicis bonâ fide succumbo. qui
de febriculis meis, qui nunc me sine tussi exercent, ut bono
animo sint, lentè me tamen restituturi sunt, meâ quidem
opinione. cui tenacium obstructionum mearum pertinacia
nimio usu innotuit. In manibus Domini sunt illae sortes,
In illis esto. tu quidem perpetuò amicorum summe, et
cui parem nec quaero nec expecto. Ægrâ manu Hagâ
Com: 21. Jul: 1633.

Ad adolescentem illum ut primo impetu
efferbueram hic vides. Tradi poterit,
si mereri existimas, mihi sane nec
introspicere quidem de novo liber,
quo politiores reddam primas et castrenses
curas. Puteanum, dii boni, quo veritas
et ille quem praedicare soles ingenuus candor
non abripuit! fierine poterit ut hoc
sic abeat?

Affini Wilmio.

Amplissime Domine Collega et affinis optime (179)

Gratissimi nobis ab amicâ manu tuâ libelli fuere Puteani
et Salmasii, quamquam prioris pridem Lovanio facta
copia fuerat. De singulis sententiam ut feram, per
pistrinum meum non licet. sed Puteano praeter opinionem
nihil accidit. Ewinantj vidua necesse est principi per
libellum supplicet, qui denique ad Consilium fortasse
remittendus

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 57v-58r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/803